

tandem superioribus Quintum Diagramma, ne quid deesset, atque sic Primum librum de Triangulis Globi cum angulo recto clausit. In Secundo deinde libro, tribus propositionibus & sex problematibus, quibus Doctrinam de Triangulis Globi vniuersam complexus est, constitutis, Primum problema fusissimè & diligentissimè persecutus est. Huius posuit non tantum Demonstrationes viginti & præcepta totidem, sed & modum atque rationem tractandi singula indicauit. Quin, vt melius omnes proportionum varietates, & earum vsus percipi & intelligi in proposito exemplo possent, compendia Logistica vtilissima præmisit. & Trianguli BCD propositi angulum B exquirendum inuenit decies sexies, & laterum quæ rectum includunt alterum BC quindecies, & alterum DC vicies novies. In reliquis quinque problematibus etsi breuitatis causa similem curam non adhibuit, tamen necessariarum Demonstrationum nihil omisit. His Corollarium attexuit, in quo quæ fusius aliquando tractauit in Compendium quasi contraxit, vt vsus Doctrinæ Triangulorum Globi aliquantò esset expeditior.

Ad hunc igitur modum, cum non modò aditum sibi ad reliquam Doctrinam patefecisset, sed & nactus esset occasionem exquirendi, quæ & quot in vniuersum esse possent Triangulorum Globi Formæ, prius hoc quam illud expedire maluit. Aggressus itaque rem, quatuor Diagrammatibus & paucis aliquot Lemmatibus non tantum demonstrauit, quòd non plures quàm Sedecim Triangulorum Formæ esse possint, sed & ex earundem demonstrationibus cxxix Acquisita deduxit, in quibus fere quicquid vsquam in hoc Doctrinæ genere à veteribus & recentioribus dictum aut scriptum legitur, reperitur. His expeditis, reliquam Doctrinam Triangulorum Globi cum angulo recto, ad quam in Primo & Secundo libro sibi aditum aperuit, in quarto demum absoluit. In eo nanque monstrauit, quomodo præcepta quæ hætenus seruiuerunt in Secundo libro QVARTAE formæ Triangulorum, accommodanda sint QVINTAE & SEXTAE formæ Triangulis. Quò verò id fieret commodiùs, præmisit Sedecim Formarum Triangulorum Globi definitiones. Quibus statim xii Theoremata subiecit, atque his sex problematum genera. Ad demonstrationem problematum quæ sunt numero Sedecim, Octauum Diagramma præcedentis libri, & pauca quædam problemata ex Secundo libro adhibuit, & singulorum demonstrationes exemplo declarauit. Atque hæc sunt quæ GEORGIUS IOACHIMVS RHETICVS præceptor quondam carissimus elaborata ac perfecta reliquit. Vtinam verò DEVS ipsi vitam largitus fuisset longiorem, vt ipse Doctrinam de Triangulis Globi, cuius tam præclara fundamenta iecit, ac fontem aperuit, ad finem perducere potuisset. Sed DEO Opt. Max. visum, vt quòd ipse memoris ac grati animi officium præstitit Copernico præceptoris de se optimè merito in publicando

b 4 ipsius